



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Rochvs Confessor. 16. Augusti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

quod tantum tibi beneficium collatum sit. Corpus meum ! resurges, sed nescio utrum ad gloriam vel ad miseriam sempiternam : fallor, scio, manet me gloria si serviam Mariæ : *Nam cliens Maria nullus aternum peris.*

3. Triumphat Maria, & cum admirabili apparatu coelos ingreditur : occurrunt Angeli, Pater æternus eam suscipit ut filiam, ut matrem Christus, & Spiritus sanctus ut sponsam, atque plaudente curiâ cælesti ad filii sui dextram collocatur. Jo anime ! omnia impetrabis intercessione B. M. Virginis, quia ut nunc omnia potest, sic omnia cupit tuâ causâ : At quibus adhuc officiis tibi Mariam conciliasti ? ut pro te intercedat.

## S. ROCHVS Confessor.

16. Augusti.

*Consurget gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentia & fames, & terra motus per loca.*

Matt. 24.

**N**ascitur Rochus loco perillustri in Gallia, portentosâ Cruce à Matre rubens : ætatis anno duodecimo amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit, ipse ditione suâ patruo commissâ. Italiam Religionis causâ petit. Hic dum laborantibus peste servi-

H tium

tium suum addicit, magnâ omnium admiratione quàm plurimos sanitati Crucis signo restituit. Secundùm hæc divinitus edoctus, quibus malis porrò exercendus esset, acutâ primùm feбри tentatur, mox sagittâ coxam trajicitur. Sanus boni Angeli ope, dum in patriam repedit, iterum æger ex itinere sub arbore decumbit, Annonam in dies singulos panem unum cane subministrante. Redux denique in suam ditionem, eandem domi quàm foris fortunam, hoc est iniquam reperit. Grassantibus enim per ea tempora ubique bellis, pro exploratore habitus captivus, que ab ipso patruo hospitio publicitus, hoc est, carcere excipitur. Hoc cum mille modis absolvere se ipsum posset, quinque ipsos tantum annos delitescit. Tandem cum nomen tabulæ suam inscripsisset, simul amplam sponsonem, quâ cœlum omnibus peste correptis medicinam ROCHI intercessionem fore edixerat, peste ipse Medicus pestiferorum decedit. Sed tanti fuit, ut liber animus gemino carcere evolaret. *Ex Lippeloo.*

## MEDITATIO.

*De flagellis Dei.*

I. **D**Eus solet tribus calamitatibus, peste, bello & fame punire peccata, & peccatores ad ob-

ficiunt

ficiam revocare. si flagellaris his, vel similibus ærumnis; utere verbis, quibus S. Lupus excepit Attilam qui se flagellum Dei nuncupabat. Bene habet, veni flagellum Dei, optatum advenis. *qui corrumpimur rebus prosperis, corrigimur adversis*. Salv.

2. Quos amat eos castigat Deus: flagellat filios suos morbo, dedecore, honorum jacturâ. Nimirum ut rebus creatis minus adhæreant, utque probati igne tribulationis, tanquam aurum in fornace, non probentur igne purgatorio. An ego queror? quòd Deus mutet durissima supplicia in leviores labores?

3. Improbi verò bonis omnibus circumfluunt: voluptatibus, honoribus, divitiis redundant; diceres eorum fortunam famulam esse, sed ne inideas felicitati aliàs fortasse quædam præstiterunt operabona, quibus ab æquissimo Deo levis ac brevis merces conceditur: sed misera felicitas? *illi namque irascitur Deus: quem peccantem non flagellat: nam quem flagellando non emendat, illum in futuro damnat.* Bern.

## S. MAMMAS MART.

17. Augusti.

*Eramus & nos in malitia & invidia agentes, odibiles odientes invicem; cùm autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, secundum suam mi-*

H 2

scri-